

etiam post mortem regio sepulero sepultus foris in agro, IV. Reg. XIII. quasi etiam cadavera ejus contaminare posset alia regum cadavera. Postquam Jonas e navi ejectus fuit, rediit maris tranquillitas: postquam exturbatus Achan, Deus populo conciliatus fuit: postquam Judas exivit de coenaculo, statim dixit Dominus: *Nunc clarificatus est Filius hominis*, Joan. XIII. Ubi D. Augustinus, tract. XXVI. in Joan. *Exiit Judas, et clarificatus est Jesus: exeunte immundo, omnes mundi cum suo mundatore remanserunt*. Quasi neque Christus suam claritatem, neque apostoli suam puritatem in societate unius improbi obtinerent: eo vero sublato acquirerent. Addit August. *Ubi malorum nullus erit, ibi bonorum nullus perit*. Lucifero ejecto et ad inferos projecto, subdit Joannes: *Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri*, quasi ante hoc dæmonis exilium turbata fuit aula cæli tota.

V. Modicum est lucrum iniquum paucorum aumorum, magnum tamen affert damnum domui universæ, qui plerumque devorat etiam juste parata: quomodo una penna aquilæ junctæ pennis aliarum avium, eas devorare dicitur. Audimus de hoc Chrysost. in orat. de avar. tom. V. « Avaritia, inquit, fermentum quoddam vetus est, quæ quocumque inciderit, quamcumque domum intraverit, impuram eam facit: etiamsi parum ex injustitia lucratus fueris universas facultates tuas fermentabit, propterea sæpe pauca male illata, quamvis multa bona reposita ejecerunt. Quid enim, inquit? Siquidem ex multis avare agentibus non omnes eadem patiuntur; patientur vero maxime etiamsi non mox in ipso peccato patiuntur. Quod si nunc effugerint, tunc vero magis metue: majori enim supplicio asservantur. Quin si ibi effugerint, at hæredes eorum patientur, etc. » Sic ille. Certe propter unicam feminam Saram videlicet, Abrahæ conjugem, contra jus et fas sublata in domum regis Abimelech minatus est ei Deus subversionem totius domus, nisi eam viro suo redderet, Gen. XX. *Redde viro tuo uxorem*, inquit, *si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris tu, et omnia quæ tua sunt*. Quo audito Abimelech statim de nocte consurgens, restituit Abrahæ conjugem suam. En unica aliena mulier, si detenta fuisset, perdidisset regem cum tota aula sua adeoque propriam etiam ac legitimam conjugem filios et ministros: quid mirum si unum alienum bonum, licet exiguum devoret etiam propria et juste acquisita?

VI. Modicum quid est lingua, seu verbum unum incautum: sæpe tamen infert maxima damna, teste Santo Jacobo, cap. V. *Lingua, inquit modicum quidem membrum est et magna exaltat*, h. e. magnas turbas excitat, explicat,

Eman. Sa. et mox: *Ecce quantus, (Gr. modicus) ignis quam magnam silvam incendit?* Quemadmodum enim cuneus modicum lignum est, intrusus tamen in arborem, findit et dissolvit eam; ita lingua pestifera, detrahens aut susurrans levi sæpe verbo dissolvit amicitiam licet arctissimam integrarum familiarum, imo civitatum ac regnorum. Ita enim Ecclesiast. cap. XXVIII. *Susurro et bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit ac dispersit illos de gente in gentem: civitates muratas destruxit, et domos magnatum effodit: virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit*. Convenit hoc cum eo, quod Plutarchus, in moral. scribit: *Unius linguæ dolo et prodicione urbes conciderunt, regna, respublicæ*. Hujusmodi lingua fuit Antipatri, qui parentem Herodem malevolis suis delationibus accendit in odium non modo externorum et aulicorum multorum, sed etiam duorum fratrum, suorum Alexandri et Aristobuli, ut eos neci daret, apud Josephum, l. XVI. Ut enim a minimo grano vel semine gignitur ingens arbor: ita ex uno susurro maxima desidia et bella. S. Gregorius, III. past. admonit. XXIV. « Perpendant, inquit, seminantes, jurgia quam multipliciter peccant, qui dum unam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas simul virtutes eradicant. In uno enim malo innumera peragunt, quia seminando discordiam, charitatem, quæ nimirum omnium virtutum mater est, extinguunt. »

VII. Modicum quid est voluptas carnis, sive percipitur ex peccato, sive fit voluptas carnis, sive inanis gloria, sive vindicta, sive aliud terrenum commodum, quia momento transit: sed ingentes interim in cruciatus desinit, ignis scilicet æterni. Modicum erat mellis, quod gustavit Jonathas in summitate virgæ, quam extenderat ad mel fluens, paululum delibandum, et tamen propter hoc morti adjudicatur. Quo audito sic lamentabatur: *Gustans gustavi in summitate virgæ paululum mellis, et ecce morior*, 1. Reg. XIV. Gustat voluptatem noxiam, qui vel intendit solum peccare, licet non peccat, rursus qui vel delectatur cogitatione rei illicitæ, licet in opus non consentiat. Idem hoc Ecclesiastes hami similitudine explicat, cap. IX. *Sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo cum eis exemplum super venerit*. Quid vilius et exilius uno vermiculo, quem in hamo gustat verius quam vorat piscis? Quid levius uno juniperi grano, quod in area aucupis turdus decerpit? Et tamen dum ille vermiculum, hic granum unum gustat, comprehenditur ille hamo, tegitur ista retibus, et ambo mactantur. Maxima, (quis negare possit?) fuit apud gentes multos velut apud Massilienses et

Tarratonenses, dementia illorum, qui se pro expiandis civitatibus offerebant in hostias et piacula (catharmata appellata) ea lege, ut per sex vel octo menses, ad summum anno in integro saginarentur variis deliciis et summa quidquid liberet, agendi libertate: post exactum vero terminum mactarentur sicut boves; aut in aquas mergerentur, aut simili alio modo pessime intererent; ejusmodi superstitio refertur in vita Sancti Cæsarii, apud Surium, 1. novemb. Quis enim vel parum mentis compos eligeret hanc tam modicam saginam, pro tam dira morte? Quantum enim est libertas et voluntas sex vel octo mensium? At hac, imo crassiore longe, laborant dementia, qui pro fluxa et pene momentanea unius illicitæ et vilissimæ voluptatis usura æternos gehennæ cruciatus eligunt. Itaque tales magis deplorandos quam commemorandos ait S. Bernardus, in opusc. de charitate, capite XV. « Quam fallax et dulusoria sit illa felicitas pernicioza, quam plerique in carnis voluptate constituunt, in libro experientiæ legitur incessanter, dum cito præterit quod delectat, et permanet sine fine quod cruciat. Sed de talibus legendum sentio potius quam loquendum. » Denique: « Omnis delectatio, ait idem, in serm. de S. Clemente, hujus mundi, universa ejus gloria, quidquid denique in eo concupiscitur, prorsus modicum est in illius beatitudinis comparatione, si tamen vel modicum dici debet, et non potius nihilum, vapor ad modicum parens. » Quisquis ergo sapit, caveat sibi ab his, quæ dixi, modicis, ne inde pertrahatur ad magna incomparabilia damna.

CONCIO V.

JUSTOS CUR SUBINDE DEUS AD MODICUM DESERAT, ET QUI REQUIRENDUS.

I. Ut castiget leviam eorum peccata. — II. Ut in humilitate eos contineat. — III. Ne donum cælestis nobis ipsis tribuamus. — IV. Ne Deo propter hoc præcise serviamus. — V. Ut donum consolationis pro merito æstimemus. — VI. Ut illis desolationibus cor nostrum expurgetur. — VII. Ut ferventius requiratur.

THEMA.

Modicum et non videbitis me. Joann. XVI.

Quod dilectis suis discipulis prædixit in cæna Dominus, se ad modicum temporis ab eorum oculis et suavissimo commercio subducendum esse, in passione et morte: quodque paulo post apostoli ingenti suo luctu experti sunt, id sentiunt sæpissime etiam alii pii, quamvis sancti et perfecti non minore suo mœrore; ita videlicet ut modo in orationibus suis omni gustu ca-

reant, et arescant plane, deficiente cælesti pluvia: modo in anima sua omni destituantur cælesti consolatione, ut ex rebus spiritualibus nullam omnino percipiant animi lætitiã: modo etiam tædio et languore adeo premantur, ut nullo prorsus appetitu afficiantur ad pia exercitia; sed omnia arida et insipida eis fiant. Neque hoc recens aut mirandum, sed jam olim prædictum a Deo est per Isaiam, capite LIV. *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui*. Hanc sponsi abscessionem sensit Sanctus Franciscus, Sancta Catharina Sennensis, Sanctus Antonius, qui subinde gemibundus exclamabat: *Quam libenter essem bonus Domine! Sed cogitationes meæ non patiuntur*. Idem querebatur Sanctus Bernardus, serm. LIV. in Cant. exclamans: « Exaudi Domine cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua tibi: nec compungi ad lacrymas queo: tanta est durities cordis. Non sapit Psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. Ubi illa inebriatio spiritus? Ubi mentis serenitas et pax et gaudium in Spiritu sancto? » Ita sanctus hic lamentatur suam desolationem, sed quid tandem est, quod ita nonnunquam Deus servos suos deserat? Audiamus causas. Deserit ad modicum.

I. Ut hac sui subtractione castiget leviam quædam eorum peccata per patientiam expianda. Sicut enim pater filio indecens quid agenti, tristorem ostendit vultum, ut errorem commissum ei insinuet et corrigendum moneat: ita et Dominus justis minus circumspice se gerentibus, subtrahit ad tempus hilarem suam faciem; quomodo etiam David Absalonem quidem recepit in civitatem ab exilio, faciem tamen ei suam non exhibuit: *Revertatur in domum suam, inquit, et faciem meam non videat*, II. Regum XIV. quo delicti scilicet sui gravitatem intelligat et expiet. Contingit etiam justis interdum, ut divinis inspirationibus aures ocludant, et pulsare Deum ad ostium cordis sui diutius sinant; et quandoque etiam frustra. Quare nil mirum si Deus talione eos puniat, et diu pulsandus velut surdus foret, non audiat, sed desolatos stare, et pulsare permittat. Pater filium vini dulcedine inebriatum ita castigat, ut desideratum ei vinum subtrahat, aut modica quantitate porrigat: cupedias frugum, quibus afflixi valetudinem filius, negat ad tempus: ita qui creaturarum amore non nihil inescari et in illis querere suam delectationem cœpit, meretur privari consolationibus divinis, ut abjectis illis vilissimis illecebris revertatur ad solidas. Id

minatur illis Deus, Isa. XXXIX. *Dabit vobis Dominus panem arctum et aquam brevem, sed in bonum eorum, sequitur enim: Et non faciat a te avolare ultra doctorem tuum.* Sensit hoc Sanctus Martinus episcopus, postquam aliqua constrictus necessitate consensus cum Itharanis in unius ordinatione, a fide orthodoxa deviantibus. Imminuta enim ipsi fuit cum interna consolatione gratia expellendi daemones, ita ut multis eam lacrymis vix recuperarit.

II. Ut eos in humilitate contineat. Habent enim non parum periculi consolationes divinae, quibus velut alis facile in superbiam homo evehitur et casu graviore ruit, e contra ubi est desolatio, ibi est humilitas. Bene dixit Ecclesiasticus, cap. VII. *Filiae tibi sunt? Non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* Sunt enim filiae ad superbiam, prone quae nimium se effundent, si parentem sibi corridentem viderint. Idem timendum justo, qui caelesti consolatione diu suaviter permulcetur (vix enim lacrymulam unam fradimus in oratione, et illico nobis sancti et spirituales esse videmur) ne suae fragilitatis oblitus efferatur supra se, quemadmodum videre fuit in Absalone, qui ubi revocatus ab exilio Jerosolymam, non solum ad conspectum, sed etiam ad osculum patris admissus est. *Posthac, inquit, sacer textus, II. Regum XV. fecit sibi currus et equites, et quinquaginta viros, qui praecederent eum;* cepitque insidiari regno patris sui. Blandum patris osculum et benevolus aspectus pennas ipsi fecit, quibus ad thronum patris evolare conaretur. Quid igitur agit Deus? Dilectis suis filiis alas ubi nimirum crescere incipiunt, praecidit, desolatione eos feriens, ut sic infirmitatis suae pondere praegravati continere se cogantur. Bene hoc expressit Job, capite XXVIII. verbis istis: *Qui fecit ventis pondus, Deus scilicet, quod est, teste Sancto Gregorio in eum locum, concessam electis de virtutibus gloriam, permissa infirmitate temperare.* Venti sunt justis, praesertim contemplativi, qui quasi in sublimi aere caelestium cogitationum deliciantur et circumvolant: ac proinde ne procul nimis avolent, libramento suo egent. Ventus erat S. Paulus, qui cum de se dixisset, raptum se in paradysum, subintulit: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis, angelus Satanæ, qui me colaphizet;* II. Corinth. XII. Quoniam igitur homines, ait super hoc exemplo Chrysostomus, homil. 1. ad populum: *« Multae cautionis, ne facile extollantur, indigent, et maxime omnium sancti (nihil enim sic in arrogantiam extollere consuevit, ut officiorum conscientia et anima cum libertate vivens) ne quid igitur tale illi patiantur, tentationes esse concessit, etc. »* Voluit etiam Petrus quasi ven-

tus evolare dum petiit a Domino, ut posset ad ipsum super undas ambulare; sed Christus fecit illi pondus, ut viso fluctu territus inciperet timere, simulque in aquas mergi; ne haberet, quo se aliquando supra fratres suos extolleret, sed potius erubesceret. Si enim dixisset, *« Aliquando pedibus mare calcasse, quid dividisset? Scilicet ut cos aut lapis ambulasti super undas. Denique talis ventus fuit S. Isaac monachus et confessor prope Spolitanam urbem, vir miraculis clarus, de quo scribit libro III. dialog. c. XIV. S. Gregorius post enarratam ejus sanctissimam vitam in hunc modum: « Sed hic sanctus, cum tot tantisque virtutibus, contemptu rerum transeuntium, prophetiae spiritu, orationis intentione, incomparabiliter esset praeditus, unum tamen erat quod reprehensione aliqua dignum putabatur; quia nonnunquam tanta ei laetitia inerat, ut illis tot virtutibus, nisi sciretur esse plenus, nullo modo crederetur. Sed magna est haec omnipotentis Dei dispensatio, et plerumque contingit, ut quibus majora bona praestat, quaedam minora non tribuat, ut semper eorum animus habeat, unde se ipse reprehendat, quatenus dum appetunt perfecti esse non possunt, et laborant in hoc, quod non acceperunt, nec tamen laborando praevaleant, in his quae accepta habent, se minime extollant sed discant: quia ex seipsis majora bona non habent, qui in semetipsis vincere parva vitia atque extrema non possunt. Fit itaque ut miro modo una eademque mens et virtute polleat, et ex infirmitate flaccescat; quatenus ex parte constructa sit, ex parte conspiciat se esse destructam, ut per bonum quod quaerit, et habere non valet, illud servet humiliter quod habet. Sic ergo et unaquaque anima agitur, ut in humilitatis custodia, aliquando ab lucra maxima ex minimo damno servetur. »*

III. Ne domum illud caeleste nostris tribuamus virtutibus, sed Deo potius, cujus donum est, adscribendum esse sciamus. Hanc ob causam dixisse vult S. Gregorius Jobum, capite VII. *Visitus eum diluculo, et subito probas illum.* Ita enim ait: *« Quis nostrum nesciat, quia diluculum dicitur, cum jam nocturna tempora in claritatem lucis mutantur. Diluculo ergo nos Dominus visitat, quia erroris nostri tenebras luce suae cognitionis illustrat, contemplationis munere sublevat, in arcem virtutis exaltat. Sed notandum quod Deus postquam diluculo visitat, subito hominem probat, quia et accedende corda nostra ad virtutes provehit, et recedende concuti tentatione permittit. Sic enim post virtutum munera nulla tentatione concutitur, haec se habere animus ex semetipso gloriatus, etc. »* Et mox: *« Quod bene nobis et historia*

lectionis innotuit, qua Salomon et divinitus accepisse sapientiam, et tamen post acceptam eandem sapientiam, meretricum statim pulsatus quaestione memoratur. Mox enim ut tantae revelationis gratiam accepit, certamen turpium mulierum pertulit. » Et paulo post: *« Sic et Helias visitatus diluculo, sermone caelos aperuit, et tamen probatus subito, infirmus per deserta fugiens, unam mulierem expavit. »* Bene etiam Augustinus, in Ps. CXIII. ait aquam consolationum, et gratiarum caelestium non nisi de petra fluere, de qua dicitur: *Petra autem erat Christus, non ex nostris meritis. Gratia ista, inquit, erumpentis aquae de petra, (petra autem erat Christus), non quasi ex operibus praecedentibus data est, sed miserante illo qui justificat impium.* Idem confirmat Sanctus Bonaventura, de process. relig. capite XXI. *« Negatur, inquit, sensibilis devotionis donum, ut ex hoc quis eruditus in gratia fiat, quod a Deo fit, non ab homine, cum non potest homo pro voluntate arbitrii sui habere, sed Deus qui dat ex se, eum vult, infundit, et cum vult, subtrahit, prout sibi placet, et prout accipienti judicat convenire. »* Quare si placere Deo quaerimus, quando nobis subtrahit gratiam suam, bene nihilominus cum eo contenti simus; nec obmurmuremus. Placet patri filius, qui carnis portionem ab eo sibi appositam grato accipit animo, tametsi forte merum os sit, parum aut nihil carnis habeat; magis quam qui sibi meliorem partem praecipit aut apponi postulat. Similiter et mendicus qui cum patientia et silentio ad ostium domus excubat eleemosynam expectans, quam qui importunis clamoribus domesticos exjurgat. Bene ergo Sanctus Bernardus, sermone XXI. in Cant. *« Quamdiu, inquit, adest gratia, delectare in ea, ut te non existimes donum Dei jure haereditario possidere, ita videlicet securus de eo, quasi nunquam perdere possis, etc. Neque dixeris in abundantia tua: Non movebor in aeternum: ne etiam illud cum gemitu dicere cogaris: Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus. »*

IV. Ne Deo propter has praecise consolationes serviamus: illisque nimis adhaerentes, pro eis Deum relinquamus. Facile enim contingit ut quis nimis crebris ac pretiosis donatus muneribus ab amico, magis ipsa munera quam amicum incipiat diligere. De talibus dicitur Eccl. VI. *Est amicus socius mensae, et non permanebit in die necessitatis, quomodo mures comedunt et amant panem nostrum, interim tamen non fidunt nec serviunt nobis.* Hinc Seneca, lib. de remed. forti: *Mel, inquit, muscae sequuntur, cadavera lupi, turba ista sequitur praedam, non hominem.* Hinc fratres ignavos, qui in religione Deo servient propter comoda temporalia, S. Franciscus

merito appellabat *fratres muscas.* Tales fieri etiam facile possunt, qui continuis pascereantur solatiis caelestibus, ut perpetuo mel sugere, et nulla quaerere animarum luera, nihil pro Deo et salute aliorum agere et pati vellent. Certa Christus notavit, et satis aperte indicavit increpando eos, qui dulcedine panum, quos exhibuit turbæ in deserto, ipsum requisierunt. *Quaeritis me, inquit, non quia vidistis signa (quibus scilicet permoti in me crederetis) sed quia comedistis ex panibus, et saturati estis,* Joan. VI. Vult dicere: *Quaeritis me propter aliud: quaerite me propter me, inquit S. Aug. in eum locum, tract. XXV. Qui propter suum commodum Christum quaerit, se magis quam Christum diligit, et hunc eoque dumtaxat, quoad fruitur ejus bonis: quibus subtractis, eum deserit uti muscae ollam melle evacuatam. Non vult habere tales servos Dominus, et quid mirum? Nec nos amamus similes. Ambi dextros desiderat qualis erat Aod, Judic. III. qui tam sinistra, quam dextra novit pugnare; Deoque adhaerere, sive consolationes infundat, sive desolationes, qualis fuit apostolus, qui ad Philipp. IV. dixit: *Scio et humiliari, scio et abundare, Gr. excellere, (ubique et in omnibus institutus sum) et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati.* Quare sive pauca, sive multa, sive etiam nulla in Dei servitio sentiamus solatia, aequae contenti ac constantes in obsequio simus.*

V. Ut donum consolationis et praesentiae divinae quale ut quam magnum sit, pro dignitate aestimamus, indeque colligamus, quam inexplicabile malum sit in perpetuum a Deo separari, si haec tantilla subtractio uberum sponsi et solatii adeo nos affligit. Nescimus aestimare donum sanitatis, donec aegritudine aliqua corripiamur: non credunt plerumque divites pauperum miseris, nisi aliquando in paupertate incidant: pari modo dum prospere res nostrae semper eunt, dum mulcemur variis animi solatiis, non agnoscimus Dei donum, nec pro merito gratias ei agimus; at si lacte illo destituamur, tum demum incipimus dicere: O quam bene mihi fuit olim, cum rebus omnibus abundarem! Cum sine cura et sollicitudine in deliciis meis degerem! Et quid erit istis privari in aeternum? Semper in doloribus jacere? Semper esurire et sitire? Semper destitui omni consolatione? Scimus Absalonem cum biennio arceretur a conspectu patris, adeo doluisse brevem illam subtractae aulae moram, ut optaret potius interfici, quam diutius eam ferre; videbatur enim sibi eo tempore in cruce pendere, II. Reg. XIV. Quid igitur putatis erit, a conspectu Dei et caelesti ejus aula in aeternum excludi? Hanc et priores rationes fere omnes bene expendit S.

Catharina Sennensis, cum aliquando incidisset in gravem desolationem et tumultum atrarum cogitationum. Ita enim de ea confessarius ejus Raymundus, apud Sur. 29. april. « Repræsentabat ei dæmon formas virorum et mulierum, turpissime inter se concumbentium, et nefandos sermones jactantium, ipsamque ad turpia petulantissime invitantium. Cogebaturque hæc et oculis, et auribus clausis videre et audire. Accedebat ad cumulum miseriæ piissimi sponsi absentia; ut ipsi videbatur, nec visibiliter, nec invisibiliter opem ferentis aut consolantis. At illa nihilominus sine intermissione et carnem affligebat, et precibus tota incumbebat. Atque in hoc præclarum de se omnibus divinæ gratiæ sensibili suavitate et consolatione destitutis, exemplum præbuit, ne solita sua exercitia propterea remittant, sed augeant potius. Dicebat autem s. virgo sibi ipsi: Tune vilissima ullis te consolationibus dignam putas? Itane jam tuorum oblita es peccatorum? Annon satis est tibi, si possis vel damnationem æternam evadere, etiamsi has tenebras et molestias ad supremum usque vitæ diem perferre oporteat. An vero Christo propter ejus consolationes servire voluisti, et non potius, ut æternum illo fruaris? Nihil igitur de solitis remittas studiis, quin addas potius aliquid. His sanctæ humilitatis telis illum superbum Goliath prosternebat Christi virgo, suumque animum confirmabat. »

VI. Ut cor nostrum illius desolationis et ariditatis quasi scopis expurgeretur quod alioquin ex quiete nimia sordes contrahere consuevit, et ignavia velut rubigine gladius obduci. Stagnans aqua nonne tetra fit et putrida? Nonne ranarum tantum et bufonum habitaculum? Et cur, nisi quia motu et fluxu caret? Ita et cor nostrum nisi vicissitudine aliqua consolationis et desolationis agitetur, nostra ignavia et voluntatis duritie cito inficietur. Bene hoc ipsum expressit Oseas alia percommoda similitudine, c. VII. vers. VIII. cum ait: *Factus est Ephraim subcinericius panis, qui non reversatur.* Hoc ipso enim quo panis inter prunas diutius relinquitur et non reversatur, ex una parte comburitur, ex altera parte cineribus sordidatur. Sic et animus si nulla fortunæ alteratione versetur, dum etiam inter spirituales delicias quiescit, ex fragilitate et imperfectione nostra, fit ineptior ad sustinendum et delicatior ad patiendum.

VII. Denique, abscondit se subinde Dominus, ut ferventius requiratur, et postea fortius ametur ac retineatur majori diligentia. Ignis flatu compressus ardentius erumpit: et bonum dilatatum animæ auget desiderium. Nam *quod difficilius queritur, dulcius invenitur*, inquit S. August. conc. II. in Ps. CIII. S. Bernardus, ser. LXXIV.

In Cant. « Forte ideo, inquit, se subtrahit (Dominus) quo avidius revocaretur, teneretur fortius: nam et Luc. XXIV. simulabat se longius ire: non quia hoc volebat, sed quia volebat audire: Mane nobiscum Domine, etc. » Hunc in modum: « Abscondit seipsum, inquit Climacus, gradu IV. scalæ, infantis mater, quem si se viderit anxie inquirere, gaudio afficitur, sicque illum instruit sibi adherere jugiter, affectumque suum altius infanti imprimit, eumque ad se ardentius amandum invitat. » Ita Cant. III. absconderat se sponsus; moxque cepit eum undique sponsa requirere, quem ubi sero invenit, tunc ait: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam, etc.* In quæ verba S. Greg. V. mor. c. IV. « Abscondit, ait, se sponsus cum queritur: ut non inventus ardentius quaeratur, et differtur quaerens sponsa, sane inveniat, ut tarditate sua capacior reddita multiplicius quandoque inveniat, quod quaerebat. » Ad Sanctam Coletam virginem ordinis S. Claræ: « Venit aliquando bestiola quædam miri candoris et elegantiae. Incertum erat, unde venisset nec erat aliis similis, nec unquam ab aliquo inspecta fuit: nec semper ei aderat, ut agnelus: sed per vices modo apparebat ei conspicua, modo evanescebat. Erat aspectu gratissima et valde delectabilis. Itaque multæ sorores eam summopere cupiebant apprehensam manu contrectare, sed frustra nitebantur, illa vel disparente, vel alicubi latitante. Coleta ipsa quandoque cum filiabus suis eam cursu insequabatur: sed ipsa Coleta præcedens, una cum bestiola ab aliarum oculis evanuit, nescientibus illis, quo translata essent. Nulli vero dubium esse debet bestiolam illam significasse arcani quiddam, ejusque et internam et externam representasse puritatem eximiam. » Ego sane existimo bestiolam hanc significasse et representasse Christum purissimum animarum sponsum, qui subinde quidem suum sponsæ exhibet dulcissimum aspectum et præsentiam, ludens cum dilecta; repente tamen iterum se subducit, ut amorem sponsæ extimulet, et desiderium acuat. Ita lusit Dominus cum Magdalena, postquam ab ea tam fervide requisitus post suam mortem fuit. Ostendit enim se ipsi, sed non statim: deinde in hortulani specie, necdum se ipsi manifestans, donec ad extremum eam compellaret nomine suo Maria. Quare docuit Dominus se rursus ad suos rediturum cum sollicitis consolationibus, si eo modo requiratur, quo quaesitus a Magdalena fuit. Ipsa fuit secum aromata: nos adhibeamus suaveolentem orationem. Ipsa sæpius introspectit in sepulcrum: nos introspeciamus conscientiam nostram, et videamus ubi et qua ex causa perdidimus

sponsi nostri præsentiam et consolationem. Ipsa interrogavit angelos ubi eum posuerint: nos interrogemus patres spirituales. Ipsa lacrymas fudit, cucurrit, perseveravit ad sepulcrum,

etiam aliis discedentibus, perseveremus et nos quaerendo, et sic tandem dilectum nostrum et ipsi inveniemus.